








V. C. VIDI  
FABRI PIBRACII  
PRÆCEPTA MORALIA,  
HEROICIS EXPRESSA AB  
AVG. PREVOTIO, Regis  
& Senatus Secretario.



LVTETIÆ,  
Apud FEDERICVM MORELLVM,  
Typographum Regium.

---

M. D. LXXXIIII.

*EX PRIVILEGIO REGIS.*

---

AD LECTOREM.

*Non opus ut placeat multa construximus arte,  
Eloquij rarò charta lepore niter.  
Tantum etenim rectè facientibus ista dicaui,  
Qui non verba, magis sed benè facta probant.*

---

AD EVNDEM.

*Qui procul illustris sequitur vestigia Musa,  
Ille sui pretium dulce laboris habet.*

A. P. C. S.





C. V. VIDI

# FABRI PIBRACII

PRÆCEPTA MORALIA, HEROI-  
CIS EXPRESSA AB AVG. PREVOTIO  
Regis & Senatus Secretario.

I.



*IMPRIMIS* venerare Deum,  
reuerere Parentes,  
*Iustitia*que tenax, in fontis iura tuere:  
Nam iudex in te supero Deus orbe  
sedebit.

II.

*Si ius reddentem fauor, aut corruperit aurum,*  
*Aulica iudiciis*que tuis si gratia praesit,  
*Ne dubita* quin te sceleris Deus arguat ultor.

III.

*Incipe opus dubia sub prima crepuscula lucis,*  
*Mane Deo benedic,* noctisque orientibus vmbis,  
*Impendens reliquum diuinis laudibus Annum.*

A ij

- Pythagoræa sedens præcepta secutus adora :*  
*Non cursum Deus, immota sed mente coli vult,*  
*Quam tribui nobis diuino munere oportet.*

## V.

*Esse tuum noli præsumere, quod tua patrat*  
*Dextra, Deo potius fieri dic auspice per te*  
*Cuncta, probæ nobis solus Deus auctor opellæ.*

## V I.

*Diuersos latè mundus porrectus in orbès*  
*Urbs una est, cuius Mauro, Scythiæque colonis,*  
*Ditique, atque inopi ius est se dicere Ciuem.*

## V I I.

*Hic Deus impositos pulchræ penentralibus vrbis,*  
*Tanquam sacrata mortales æde locauit,*  
*Mille immortalis pingens simulachra figuræ.*

## V I I I.

*Apparet toto maiestas fulgida Templo,*  
*Cui genus humanum medius in sedibus adstat,*  
*Erectis vt eam melius speculetur ocellis.*

## I X.

*Se penes hanc veluti specu'i sub imagine clara*  
*Cerni: homo, Terram secum, Cælumque reuoluit,*  
*Exiguo totum complexus corpore mundum.*

Nil

*Nil hercle ignorat quisquis seipsum benè nouit:  
Id tamen ut certa possit ratione parari,  
Inspecta assiduè Sapièntia sola docebit.*

XI.

*Non quod cernis homo est, tetri sed carceris ater  
Ambius, est fragilis vitæ ferale sepulchrum,  
Concessa exiguo titubans & sponda sopori.*

XII.

*Hoc corpus mortale, Caro, sanguis, cutis, artus,  
Quæ miramur, homo non est, his pulchrior ipse:  
Hinc homines ut sacra Deus sibi templa reseruat.*

XIII.

*Et quid homo est nisi diuinæ pars paruula lucis;  
Atque indiuiduum numero non sectile primo,  
Purus & æternus manans è fontibus humor?*

XIIII.

*Ergo memor posthac cælestis originis, imas  
Magnanimus miseræ telluris despicere sedes,  
Planta etenim diuina, iterum florebis Olympo.*

XV.

*Ne genus, & proauos mortali semine cretos,  
Vera sed æterni genitoris stemmata iactes,  
Qui tibi diuini vultus afflauit honorem.*

*A iij*

Rerum Ideas primas Cælo qui fixit in alto  
Innumeras, longè falsum reor esse Platonem:  
Cuncta Dei simplex formâtque créâtque voluntas.

XVII.

Ipse iubet, nullo sunt sua iussa labore,  
Ipse avium pecudúmque greges, animalia cuncta  
Gignit, alitque, eadem tenui vel flamine solvit.

XVIII.

Aspice carulei conuexa sacraria Templi,  
Et Solis, Lunaëque globos, orbémque gemellum,  
Supremúmque oculis & vix penetrabile Cælum:

XIX.

Denique quod nunc est, quod erit, quódque extitit olim,  
Quicquid Terra sinu, quicquid mare celat, & Æther,  
Hæc Patris æterni testantur origine Numen.

XX.

Impia famosa deuita dogmata sectæ,  
Mollis & infames Epicuri de grege porcos,  
Quis Deus aut nullus, fati quibus aux ratus ordo est.

XXI.

Interea turpi pronoluunt corpora cæno,  
Atque Voluptatum sædo se in gurgite mergunt,  
Rauca velut pascens limosa Rana palude.

Felix

*Felix ille, Dei qui se bonitate tuetur,  
Aduersis rebus supplex, paritèrque secundis,  
Præsidióque hominum qui nunquam fudit inani.*

## XXIII.

*Spémne locas in eo quod debile, quod breuis aui?  
Nil aliud Rex est, toto licet imperet orbe,  
Et pavor hunc quàm te multò magis anxius vrget.*

## XXIII.

*In fontem Deus assiduo tutamine seruat,  
Cùm desertus erit, minus ille timore labascet:  
Tunc etenim triplici fultum se numine sentit.*

## XXV.

*Corporis & dotes, & amica munera sortis,  
Quis bona censebit, siquidem mutantur in horas?  
Sola manet stabili Virtus immota tenore.*

## XXVI.

*Assidet extremis Virtus inclusa duobus,  
Indiga nullius, certo se sine coercens,  
Atque suis contenta bonis sibi sufficit ipsi.*

## XXVII.

*O si cui nudo Virtus spectabere vultu,  
Ille tui quantum incensus flagrabit amore,  
Si modò nube caua relectam vetus arsit & atas?*

*Est sapiens natus genitori grata voluptas,  
Virtutem à teneris puer auspice Patre capeffat:  
Viuenti recte soboli pater optimus auctor.*

## XXIX.

*Si tibi pralucent clari Virtute parentes,  
Cur iritum non carpis iter? secus accidit, istud  
Opprobrium, cur non morum candore refellis?*

## XXX.

*In pretio genus, & maiorum spendor habetur,  
At propria Virtute tuos ornare nepotes  
Præstat, quàm solis titulis clarescere auorum.*

## XXXI.

*Vsq̄ue vel ad feretrum doctæ cole sacra Minerva,  
Vana abeat tibi nulla dies, experſque lucelli  
Quo meliùs mentem cumulatâs dotibus ornes.*

## XXXII.

*Ignota si quis regione Viator aberrat,  
Aut delapsus equo syluis procumbit opacis,  
Erige, & errantem meliori tramite siste.*

## XXXIII.

*Quod iustum, atque decens, propria præpone saluti  
Hic tibi ametur honos, qui debita reddere suadet  
Jura Deo, Regi, Patriæque, & Regibus ipsis.*

Ne

*Ne piger anteferas hodierna crastina luci  
Tempora, neu differ ventura in secla quod instat:  
Quod potes efficiens, alieno parce labori.*

XXXV.

*Peruersos fugiens, consortia quare bonorum,  
Præcipue inuenis, rationi cum subigendæ  
Vim parat, & sensus pungit tibi bruta libido.*

XXXVI.

*Herculis exemplo bifido si tramite nutas,  
Sperne voluptatis ludibria, fortiter alti  
Montis iter, Calumque Dea monstrante capesse.*

XXXVII.

*Nec pede transferso cæci vestigia ladas,  
Corpora ne probris agites defuncta sepulchro,  
Nec tibi ab arumnis alienis gaudia carpes.*

XXXVIII.

*Veridicis semper sermonem emitte labellis,  
Seu tibi dicta dies sit iudicis ante tribunal,  
Seu iuuat alloquio conuiuas pascere dulci.*

XXXIX.

*Vsq; cubo verum gaudet consistere recto,  
Cuius fixa suo semper basis vltima quadro,  
Perpetuò similem retinens quacunque figuram.*

B

*Insidias auibus quoties uaser instruit auceps,  
Mendaci veros cantus imitatur auena:  
Impius ut fallat, pia semper verba profatur.*

## XLI.

*Parce quod arcanum est scrutari, aut disce tacere,  
Percunctator amat vana mendacia linguæ,  
Perfidus est secreta sibi qui credita vulgat.*

## XLII.

*Quicquid ages, iustæ perpende examine libræ,  
Tu licet obscurus lateas absconditus antris,  
Acceptum officium duplici cum fanore reddens.*

## XLIII.

*Sit sacra depositi custodia semper apud te,  
Nexæ Palatinam repetentibus obuce technam,  
Ut Dominum fraudes, turpi & potiare rapina.*

## XLIIII.

*Perpetuis odiis homicidam, & voce virili  
Persequere, ut Libycus gregis arua iubentia pastor:  
Cæde videns, rapidas Tigres clamore fatigat.*

## XLV.

*Haud satis est nulli sese præbere nocentem,  
Aude etiam contra conatus ire malorum,  
Qui damnum, probrum, mortemque minatur amico.*  
*Quæris*



*Quæris qua meliùs Virtus ratione colatùr?  
 Fram, atque ingluuiem ventris compeſce voracis,  
 Deſidia, eque malis naſcentem erroribus ignem.*

## XLVII.

*Affectus ſuperare animi victoria ſumma eſt,  
 Se penes incluſos hoſtes ratione domare  
 Qui poterit, feret immortalis præmia palma.*

## XLVIII.

*Si te fortè recens admiſſum læſit amici,  
 Ne ſubitum promas calefacta bile furorem:  
 Orta ſed alternis componite iurgia dictus.*

## XLIX.

*Commune hoc vitium eſt homini peccare, nec ulli  
 Quantumuis iuſto, vita eſt data criminis expers,  
 Si facta, & voces exacto pondere pendas.*

## L.

*Nónne vides tetrica ſimulat qui fronte Catonem,  
 Peruigilem furuæ per amica ſilentia noctis  
 Incauta varias vicina neſtere fraudes?*

## LI.

*Ardua res propriis vitiiis obducere velum,  
 Conſcia mens culpæ, ſibi ſeſe abſcondere neſcit:  
 Quanquam alios fallis, tibi te celare nefas eſt.*

*Censura incutiat tua, non aliena pudorem,  
Præter te nemo grauius tibi dedecus affert:  
Optimus ipse tui priuato examine iudex.*

## LIII.

*Nulla tibi probitas specie quærat inani;  
Tæque bonum præbe re ipsa, præstantibus actis:  
Nescia mens prauæ, vulgi maledicta retundit.*

## LIIII.

*Impartire inopi cumulatam largus opum vim:  
Diuitiis Deus ipse domum replètque beátque  
Munifici, quoties ultro miseretur egentis.*

## LV.

*Cur latet in loculis argenti pondus & auri?  
Quid profunt Tyrio tinctæ tibi murice vestes,  
Copia quid Cereris, distenta quid horrea Baccho?*

## LVI.

*Si miser interea frigus perpeffus & imbrem,  
Occlusas iacet ante fores, panisque secundi  
Tantum frustra capit, vacuusve iubetur abire?*

## LVII.

*Tantâ ne peruersum tenet inclementia pectus,  
Ut spernas simili nascendi lege creatos,  
Atque Dei tecum quibus est communis imago?  
Regibus*

*Regibus ( ut reliquis ) duri sunt noxia fati  
Tela, quibus solus sapiens obistere nouit  
Legibus his liber nostro heu rarissimus auo.*

## LIX.

*Liber erit sapiens constrictus mille cathenis,  
Diues, & externis nunquam regionibus hospes,  
Casibus aduersis fortis, Rex demique Regum.*

## LX.

*Haud illum terrent minitantis verba Tyranni:  
Quoque magis premitur, magis alto corde resurgit  
Arbiter ipse sui, suffragia cetera temnens.*

## LXI.

*Integritas morum nec pondere quaeritur auri,  
Nec Regum gazis, nullaque parabilis arte est:  
Hanc habitus constans, longo sibi comparat usu.*

## LXII.

*Multa legens, si nil vnquam meditetur apud se,  
Est illi similis, stomachum sibi qui dape lauta  
Opprimit, & sumptis auide nil proficit escis.*

## LXIII.

*Sapè aliquis poterat sapiens euadere, visus  
Ni foret antè sibi: prudentia tempore crescit,  
Longa dies probat artifices, ususque magister.*

*Exiguus manant undosi fontibus amnes,  
Non procul excurrit violento qui fremit ortu:  
Vicinus torrens ut perdit nomen in antris.*

L X V.

*Vae tibi fecundo qui semina subtrahis aruo:  
Vae tibi qui pacta fraudas mercede colonos:  
Vae tibi qui tantum memor es presentis amici.*

L X V I.

*Turpia mendacis vitans periuria lingua,  
Sponte nec humani generis, nec flammae caeli  
Corpora iurabis, sed numina summa, coactus.*

L X V I I.

*Juppiter aetherea periuros damnat ab arce,  
Exercens celerem violati numinis iram,  
Et prohibet verum mendaci teste probari.*

L X V I I I.

*Perfectam ut teneas unam cole sedulus artem,  
Artificis nec te vicini incepta morentur:  
Vendicat haud parvam excellens industria laudem.*

L X I X.

*Quod potes amplectens, nihil ultra suscipe vires,  
Ut ere quasitis, nec opes capta, nec honores:  
Haud metus, haud lethi cruciet te dira cupido.*

*Quid*

*Quid prodest casto thalamo tenus esse pudicum,  
Si ramenterea laxas immittis habenas  
Auriculis, oculis, manibúsque, oríque salaci?*

## LXXI.

*Ah graue per patulas vulnus quod mittitur aures:  
Sæpe fit inde furor, blando cum suada lepore,  
Torquet mellitas in credula corda sagittas.*

## LXXII.

*Talibus instructum galea caput assere telis,  
His armis olim victricia tempora cingens:  
Magnanimus Pugil, in mediam descendit arenam.*

## LXXIII.

*Vs primùm arrectas sermo peruenit ad aures,  
Vicinam cerebri sedem penetrabilis intrat,  
Nec fas hoc virus nisi clausa arcere fenestra.*

## LXXIIII.

*Garrulitas nugis scatet, & mendacia vana  
Effutire solet, breuitas aptissima vero est:  
Fabula, verbosamque requirunt somnia linguam.*

## LXXV.

*Compescens digito labrum Memphiticus hospes,  
Composito vultus habitu, grauitate decenti:  
Esse docet summo veneranda silentia cultu.*

*Diuitis ut quoties Regis conclaue patescit,  
 Apparent tabula gemmis, auróque nitentes:  
 Quicquid & occidu is profert Hispanus ab Indis.*

## LXXVII.

*Sic ubi facundi dulcissima flumina fundit  
 Eloquij, exponens animo meditata disertus,  
 Democriti puteo demersa talenta recludit.*

## LXXVIII.

*Hic est Cecropius sermo depromptus Athénis,  
 His sese exuuuis spoliata Roma fatetur,  
 Hinc scatet Hebraeis latitans sapientia chartis.*

## LXXIX.

*Ampla licet, cuiuis sua sors angusta videtur:  
 Vberior prodit vicini è vite racemus,  
 Aut minor, aut nulla est aliena causa querelæ.*

## LXXX.

*Inuide, supplicium nullum tibi lex mea ponit,  
 Ipse tibi iudex, tortor tibi maximus ipse,  
 Tormentis Siculi non concessere Tyranni.*

## LXXXI.

*Pingere qui rectè tua tela Calumnia tentat,  
 Ægrè perficiet, nisi dum noua vulnera sentit:  
 Illæsis etenim furia vim nosse nefas est.*

*Ille*

*Illa nec in vacuo sibi deligit aere sedem  
 Caruleóve sinu latet, aut siluestribus antris,  
 Innocuis nocitura viris, Regum obsidet aures.*

## LXXXIII.

*Captiuo quoties collo sua neclit Erynnis  
 Vincula, quamuis hæc detur dissoluere, nodi  
 Impressi manifesta tamen vestigia durant.*

## LXXXIII.

*Arbitrium iudex propria ne suscipe litis,  
 Cacus amor nostri, lucri male-suada cupido,  
 Deprimit incerta mutantia pondera lancis.*

## LXXXV.

*Judicium exercens, normam sectabere Legum,  
 Non hominum varios affectus, atque fauorem :  
 Hi pecudem redolent, à summo nata Deo Lex.*

## LXXXVI.

*Diuinus numerus forma spectatur eadem,  
 In multas sectus partes, siue integer extet,  
 Iustitia equalis remanet, diuisa minuti m.*

## LXXXVII.

*Externas nuper terras emensus Vlysse,  
 Disce Ithacam posthac moderari legibus æquis,  
 Mergitur in portu, expertus Scyllam atq; Charybdim.*

*Quid spondere velis, prius alta mente reuolue,  
Post rata solenni maneat constantia pacto:  
Quæ semel est promissa fides, seruanda vel hosti.*

## LXXXIX.

*Incultam quanuis legem retinebis auorum,  
Auspiciis cuius florens Respublica creuit:  
Fors bona nube regit, quod credis inutile prodest.*

## LXXX X.

*Effuge Sirenes, Circen, iuuenis que, senex que:  
Harum namque tibi cantus si mulceat aurem,  
Mentis inops agros percurres more ferarum.*

## LXXX XI.

*Quod velis hoc possis, id possis quod decet vnum.  
Assuescens trutina metiri iuris utrumque  
Iustitiæ exemplum supremo à numine duces.*

## LXXX XII.

*Haud tutum est temerè priscos inuertere ritus,  
Damnosum Regnis leges abolere priores:  
Non cuiuis cedunt, benè quæ cessere Lycurgo.*

## LXXX XIII.

*Talia verba odi, Sit pro ratione voluntas,  
Sic volo, sic iubeo: Placita hæc infauista vicissim,  
Et Canonum, & Regum sanctum fregere vigorem.  
Credulitas*



*Credulitas, præceps audacia, scurra bilinguis,  
 Consilium iuuenum, nouus ignotusque minister,  
 Sapius exitium regnis peperere supremum.*

## LXXXV.

*Dissimulare malum seruile est, affidet illi  
 Perfidia, vnde animis feritas innata potentum,  
 Ciuilis belli miseros quæ pariurit astus.*

## LXXXVI.

*Magna decent Reges, sed quæ data donâ merenti  
 Pro ratione rata, non pars sit vt omnibus aqua,  
 Et quibus haud exhausta tributis Regna laborent.*

## LXXXVII.

*Expers Musarum, Syllaque indoctior ille est,  
 Qui plebem effraenem Mauortis ad arma vocauit:  
 Nam bellus assueta, iugum cernice reuellet.*

## LXXXVIII.

*Democriti risum tremulis imitare cachinnis,  
 Cùm nihil exhibeat tibi præter friuola mundus:  
 Mox Ephesi fletu clades pius ablue nostras.*

## LXXXIX.

*Hospitio, leni peregrinos excipe vultu,  
 Supplicibusq; faue, nec opum his, nec largus honorum,  
 Inde tuos onerans inhonestæ labe repulsæ.*

*Mystica sinceri si pocula quæris amoris,  
Subiectos sceptro populos, ut ameris, amato:  
Hæc est Thessalicis medicina potentior herbis.*

## CI.

*Quæcunque ingenuo reuerentia constat amore,  
Fulcrum, & regalis certa est custodia sceptri:  
Perpetuò trepidat, per vim quicumque timeur.*

## CII.

*Infaufto quicumque caput diademate cingit,  
Si saperet tumulum vitæ præferret acerba,  
Quam sibi dum sumit, præsens sibi funus adornat.*

## CIII.

*Commoda ob alterius totas insumere noctes,  
Ingrato studio patriæ inuigilare saluti,  
Hoc demum Imperij titulus, & dignor honore.*

## CIII.

*Quis iuuenem vidit sapientis nomine dignum,  
Egregiùmque Ducem qui numquam paruit, atque  
Expertes odij senio occubuisse Tyrannos?*

## CV.

*Sobrius abstineat chorea, dapibúsq; benignis,  
Qui tempestatum rabiem timet, æquora vitet:  
Quod sentit quicumque loqui volet, exulet aula.*  
Obiecta-

Obtreſtatoris pleniffima labra veneno,  
 Affentatorum redolentes mella ſuſurri,  
 Pravorum ambitio, mordacis ſpicula linguæ:

## CVII.

Verum odiſſe, aliud quàm quod velis ore fateri,  
 Culpare abſentem, miſerè & vexare puſillum,  
 Haſ amat aula roſas regalis, & hoſ hyacinthoſ.

## CVIII.

Aut caſu aduerſo, aut rixa, amiſſoquæ fauore,  
 Intemerata fides veri ſpectatur amici,  
 Eſt qui nomen habet, nec habet quod in igne probetur.

## CIX.

Perfer quod patriis viguit moderamen in oris,  
 Seu Rex, ceu pauci imperitent, populivæ corona,  
 Naſcentem Deus hiſ quia te ſubmiſit habentis.

## CX.

Inſignem bonitate licet depoſcere Regem,  
 Qualis erit, tolerandus erit, nam forſè Tyrannum  
 Eſt multò ſatius, quàm ciuica bella cedere.

## CXI.

Effuge conſultò certamina ludicra Regum,  
 Hiſ te excuſabis licet inuitatus: abutens  
 Regis amore, rotam citò deturbatur ad imam.

*Qui genere obscurus momento exurgis, ut heres  
Fortuna, instabili noli confidere vento:  
Quae strepit exoriens forsàn sero aura silebit.*

## CXIII.

*Securè ut degas, mediocrem amplectere sortem.  
Vallibus vnda nocet, ferit alta cacumina fulmen,  
Esse solet modici sedes tutissima collis.*

## CXIII.

*Diuitiis paucis sese natura beatam  
Censet, & immodicum studium auersatur habendi:  
Crescit opum damnosa sitis, quò plura parantur.*

## CXV.

*Cùm Deus innocuos, vera Virtutis amantes,  
Funeribus subitis caelestem accersit in arcem,  
Crede hac Imperij portendere fata ruentis.*

## CXVI.

*Vir bonus aduersis quoties res summa labascit,  
Infractas solidi moles imitabitur arcus,  
Fulciet atque humeris obnoxia regna ruina.*

## CXVII.

*Cur accusat homo breuioris tempora vita,  
Si nihil eximium labentibus inchoet annus?  
Quantalibet rectè facienti sufficit aetas.*

*Mercedem*

*Mercedem nequeas illi persolvere dignam,  
A teneris qui te eloquij præcepta docendo  
Imprimis normam rectè patefecit agendi.*

## CXIX.

*Seu scenam ingrederis, mensæ, accumbisve Theatro,  
Grandænos reuerere, loco decedere promptus,  
Officio simili veniens vt te colat ætas.*

## CXX.

*Ingratus benefacta sui magis auget amici,  
Exprobrata homines ingratos gratia reddit,  
Ipse sibi soluit qui propria munera iactat.*

## CXXI.

*Qui sese sanum cupiet, rectèque Valentem,  
Immodico pastu, Baccho, abstineátque palæstra:  
His tribus horrendi facilis via panditur Orci.*

## CXXII.

*Despice prauorum probrum, tibi cedit honori.  
Culpantis modulo metiri crimen oportet:  
Solaque laus verè est, laudati quæ fluit ore.*

## CXXIII.

*Mutatis passim confundimus omnia verbis.  
Opposita vitium virtutis nomina sumit,  
Est vice laus probri, vice sunt conuitia laudis.*

*Alloquitis faueas patiens auditor amici,  
Admissæ facilis velum prætereunda culpa,  
Festinus laudare palàm, clam carpere tardus.*


## CXXV.

*Quisquis grande Sophos, vulgi venatur & auram,  
Aoniiq; chori solum se iactat alumnum,  
Interius stolidi vitium tegit, atque loquacis.*

## CXXVI.

*Quò quis doctior est, minus hoc se scire fatetur:  
Vir bonus, & prudens, fastum auersatur inanem  
Hi Sophiæ fructus, merces & opima, beata.*

FINIS.



## LUCRETIA ROMANA.



*IS impudicæ pessimis conatibus  
Corpore subactò, victor animus restitit:  
Escam nefandæ noxiæ libidinis  
Lethalis ictho pectore prauit cruor.*

*Hoc Roma quondam didicit ex me (fœminæ  
Quauis coactæ appareat saluus pudor)  
Illata nullo supra prætextu elui,  
Vim vi nisi repurget Vltrici manu,  
Probrumque iniquæ sortis extinguat nece.  
Alterius in me vindicans letho nefas  
Illustre specimen mentis innocuæ dedi,  
Vt nulla seclis impudica posteris  
Vitam imminuta castitate proferat:  
Decori superstes sceleris in partem venit.*

## VIRGINIA ROMANA.

*VINDICIAS in me prætextu iuris, iniquus  
Decesse dum iudex parat:  
Dumque pudicitia struit irreparabile damnum,  
Ne laderetur integer.  
Virginitatis honos, iucundo flore iuuentæ,  
Mihique vita charior,  
Infelix genitor natæ prece victus, honestam  
Mortem misericors attulit.  
Occubui Virgo, perpeffa Lucretia lasæ*

*Vim castitatis occidit.*  
*Commune hoc nobis, patria mutasse priorem*  
*Statum cruento funere.*  
*Contigit huic unum solio exegisse Tyrannum,*  
*Ego Vrbe denos expuli.*  
*Ergo Virginia bis quinos Roma triumphos,*  
*Decemque debes laureas.*

PORCIA BRUTI VXOR..

**V**IM passa, illati Lucretia criminis insons.  
*Perculit ultrici pectora casta manu.*  
*Virginia edicto perterrita iudicis Appi,*  
*Cedendum patrio praeiuit ense caput.*  
*Sanctus amor, tedaque coruscans flamma iugalis,*  
*Qua passim viuo coniuge clara fui,*  
*Carbonem accendit Bruto moriente, priori*  
*Viscera adurentem penè cremata face.*  
*Felix Virginia est, felix Lucretia letho,*  
*Clarior at nobis laus in amore mori.*  
*Nulla equidem sensi temerari damna pudoris,*  
*Præcipuum ante alias Porcia nacta decus.*  
*Quippè Cato genitor, vir Brutus, Caesar et hostis,*  
*Castraque Virtuti secla proterua meæ.*



**I**LLA ego sum quondam geminos enixa Tribunus,  
 Et vitæ Gracchis auctor, & eloquij:  
 Quorum diuinos mirata est Roma lepores,  
 Ipsaque sunt cultis excita Rostra sonis.  
 Liberto pueros metuens committere Græcos,  
 Munera facunda vocis inempta dedi.  
 Amborum genitrix, Musis utrumque dicaui,  
 Mellito suada nectare labra rigans.  
 Turpe reor vili sobolem addixisse magistro,  
 Hic labor ingenuæ est nobile mentis opus.  
 Bis generat, duplicem titulum meruitque parentis;  
 Qui natos Phæbi mystica sacra docet.

## DIDO CARTHAGINIS REGINA.

**S**AT fuerat Libycum litus texisse meorum  
 Sanguine, & ardenti Tempora cremasse rogo:  
 Subiicere Ausonia pulchram Carthaginis urbem,  
 Sardiniam, & Siculi demere sceptrâ soli:  
 Insano rursus nisi percita Roma furore,  
 Tetrâque sub dulci melle venena regens,  
 Castum famoso violasses carmine nomen,  
 Ascribens viduo crimina falsa toro.  
 Punica Regna tamen nunquam tuus attigit exul,  
 Nec petiit Libycam Troia classis humum.  
 Mi sancte celebratus hymen spirante Sichæo,  
 Extincto mansit coniuge primus amor.

*Méne pati ( miseræ Deâ Tutelaris Elisæ )  
Obsceni thalami probra nefanda fines?  
Proditor ut falso fugitiuus honore fruatur,  
Románe mendaci me petet opprobrio?  
Ista Lupæ maledicta decent nutricis alumnos,  
Quos pepulit refuga corniger amnis aqua.  
Ne precor afflicta instam damnate querelam:  
Quæ tacet , illarum dedecus illa probat.*

*F. I N I S.*